

INTRODUCTIO

I De Iulio Piazza nuntio apostolico

Iulius Piazza originem ducens a patre Francisco Piazza et matre Francisca Savorelli civibus urbanis, Forolivii (in provincia Aemilia-Romandiola) natus et ibi in ecclesia abbatiali tituli Sancti Mercurialis die 13 III a.1663 baptizatus est. De colligationibus familiae eius parum scitur. Rudimenta litterarum in Collegio Nazareno Romae didicit ibique studia litterarum et philosophiae absolvit¹. Patruo Camillo Piazza († 1690) assessore Sacrae Inquisitionis et episcopo titulari Dragonarae auctore ad studia litterarum humanarum in universitate Romana exercenda missus, gradum doctoris utriusque iuris adeptus est². Studiis absolutis, brevi tempore apud patruum suum morabatur, in rebus Patrimonii Sancti Petri administrandis ei opem ferens. Anno iam 1690 a papa Alexandro VIII internuntius apostolicus Bruxellis nominatus est, ubi res ad doctrinam Iansenii spectantes delicate prudenterque tractare cogebatur³. Sex annis post Romam rediit et clericus Camerae Apostolicae die 27 III a. 1696 nuncupatus, sequenti anno a papa Innocentio XII ad dignitatem archiepiscopi insulae Rhodi provectus est. In ecclesia Romana tituli Sancti Andreae de Valle a cardinali Caspate Carpegna, vicario papali Urbis, consecratus est⁴. Paulo post, ineunte a. 1698, Luceriae in Helvetia nuntius apostolicus (die 7 I a. 1698) nominatus est, ubi

¹ Singula, quae cursum ecclesiasticum nuntii Iulii Piazza illustrant, in dissertationibus de hierarchia catholica generatim tractantibus (cfr. Ritzler-Seffrin HCV p. 21, 199, 282, 333) nec non in synchronis indicibus nuntiorum (cfr. Kartunnen, p. 78) et legatorum, qui apud aulas externas omnium regum imperatorumque Europae agebant (cfr. *Repertorium* I p. 381-382), inveniuntur. Vita eius usque ad hoc tempus non satis diserte copioseque exposita est. Vetustissima vitae eius descriptio iam exeunte XVIII saec. a Lucio Cardella summatim confecta est (cfr. Cardella VIII p. 123-124). Non melius eius vita medio XIX saec. a Gaetano Moroni (cfr. ipsius *Dizionario* LII p. 276-277) descripta esse videtur nec non dissertatio a Germanico viro rerum gestarum perito, Friderico C. Hirsching ("Historisch-literarisches Handbuch", 7/2 (1805) p. 3-7 inscribitur), publici iuris facta. De munere episcopi, quo Iulius Piazza Faventiae fungebatur, in dissertationibus historiam dioecesis Faventinae illustrantibus (cfr. A. Strocchi, p. 228-231; A. Messeri - A. Calzi p. 267-269; G. Girelli, p. 40-41 et tabulam XXIV; et C. Mazzotti, p. 76-78) complura invenies. Quae cum ita sint, in hac editione comparanda coactus sum vitam et acta nuntii nostri a principio reconstruere. Investigationes feci in Faventiae, Romae et Bononiae archivis, ubi etiam acta et documenta ad vitam et gesta eius nec non ad familiam eius non satis illustrem pertinentia, pauca exstant. His perquisitionibus nixus, breve curriculum vitae et operis Iulii Piazza composui et in ephemeride dioecesis Faventinae publicavi a. 1988 (cfr. bibliographiam).

² Quae ex AV, Proc. Datariae 74 f. 380r-389v hausta sunt.

³ Singula acta ad haec spectantia in AV, Nunz. di Fiandra vol. 80, 87, 147 C, 148, 156, 180, 203 leguntur. De nuntio Piazza etiam scribebat C. Terlinden, *Les rapports de l'internonce Piazza sur le bombardement de Bruxelles en 1695*, "Cahiers Bruxellois" 3 (1958), p. 85-106.

⁴ AV, Proc. Cons. 99 f. 385v. Bulla, qua Iulius Piazza archiepiscopus in insula Rhodi nominatus est, in AV. Sec. Brev. 2053 f. 437 invenitur.

quinque annos usque ad mensem Iunium a. 1703 commorabatur⁵. Postea Coloniae Agrippinae, Fabricio Paulucci in munere nuntii apostolici (die XII a. 1703) successit⁶. Quod munus difficillimum erat, tam in dignitatibus episcopalibus conferendis quam in libertate Ecclesiae defendenda consistens.

Exeunte mense Maio a. 1706 iam certum erat Iulium Piazza nuntium apostolicum in Polonia nominatum esse⁷. Munus eius illo tempore praecipue laboriosum et difficile erat. Duos iam annos regnum inter duos regentes scindebatur, auxilium vero adhuc Augusto II regi Polonorum a papa latum, consilio cautiore, in Stanislaum Leszczyński, candidatum a Suecis protectum, capto, cessisse videbatur eo magis, quod rex Augustus qui, ut fidem catholicam in Saxonia restitueret, capellam in ducali aula instituere nec non filium catholico more educare promisit, promissa tamen servare minime curavit. Terra Poloniae interim ab inimico exercitu Suecorum regis Caroli XII occupata est, qui non solum rebus publicis externe aliter gerendis studuit, sed etiam Augustum II regno privavit (pacto, quod erat in oppido Altranstädt die 24 IX a. 1706) et Stanislaum Leszczyński, palatinum Posnaniensem, regem creare conatus est. Sedes Apostolica consequenter legitimi regis partes sequebatur, qui certe Augustus II erat, qui ipse ad fidem catholicam Saxoniam adducere promittebat⁸. Quam ob rem nuntius Varsaviae habitare non poterat, cum ipse etiam rex Augustus extra Poloniam, in Saxonia, commoratus sit. Propterea Iulius Piazza more praedecessoris sui, cardinalis Philippi Spada, Opaviae, quod est oppidulum Silesiae, in terra Imperio Romano Germanico subiecta situm, sedem habuit, ubi res, ad negotia externa Sedis Apostolicae pertinentes, ab eo gubernabantur et cursus rerum novarum observabatur. Stanislaum Leszczyński tamen regem confirmare abnuit, multis eum ad hoc faciendum admonentibus. Nuntii apostolici erat non solum res Poloniae observare, sed etiam eas, quae inter Saxoniam et Sedem Apostolicam agebantur, nec non ea, quae ad Moscoviae Sueciaeque ad fidem catholicam conversionem spectabant. Dissensiones, quae inter proceres Poloniae atque hierarchas Ecclesiae oriebantur, nuntium in munere suo obeundo non parum impediabant.

⁵ AV, Sec. Brev. 1977 f. lr. Acta et documenta in AV, Nunz. di Lucerna vol. 93-96, 96 A, 97 inveniuntur.

⁶ AV, Sec. Brev. 2107 f. 33r. Acta et documenta in AV, Nunz. di Colonia vol. 87-91, 225, 225 B-C, 226 A, 228, 318, F. Albani 178 inveniuntur.

⁷ Iam mense Aprili a. 1706 Fabricius Paulucci cardinalis regem Polonorum Augustum II de consilio novi nuntii nominandi certiore fecit, cfr. minutam litterarum in AV, Nunz. Pol. Addit. 7 II sf occurrentium. De litteris cardinalis Secretarii Status ad nuntium Philippum Spada die 5 VI a. 1706 missis (AV, Nunz. Pol. 189 f. 520r) nominationem in personam Iulii Piazza factam esse primum cognoscimus: "... La Santità di N.ro Signore si è degnata di sostituire a V.ra Eminenza in cotesta Nunziatura Mons. Piazza, che fin ora esercita quella di Colonia ...". Facultates Iulii Piazza die 15 VI a. 1706 concessae sunt, AV, Sec. Brev. 2188 f. 1r 8r.

⁸ Cfr. Staszewski, p. 93 et sequentes.

Cum rebus civilibus implicatus esset, nuntius rerum ecclesiasticarum curam non omittebat. Recta, ex parte episcoporum, dioecesium administratio ei imprimis curae erat, propterea quod uterque rex suos quisque episcopos designare volebat. Multum negotii ei facescebant ordines monachorum, qui reformatione indigebant (exempli gratia ordo Sancti Benedicti), praecipue in dignitatibus abbatum commendatariorum conferendis. Officia eius et munera, quae ex actis gratialibus cognoscimus, imprimis ad conferenda beneficia ecclesiastica, ad relaxanda impedimenta ad ordines sacros et in contrahendis matrimoniis, ad concedendas licentias libros prohibitos legendi, nec non benedicendi paramenta liturgica spectant. Acta iudicialia autem ad munera nuntiorum pertinentia non sunt asservata, quam ob rem nihil de actis et operibus a Iulio Piazza iudice illo tempore factis dicere possumus.

Tempore, quo Piazza munere nuntii fungebatur, administri ac adiutores eius nobis noti sunt. Auditor eius fuit (usque ad diem 23 I a. 1707) Ioannes Carolus Vanni, qui iam praedecessori eius aderat, cui postea successit Ioannes Baptista de Nobilibus. Cancellaria ab Adalberto Skwarczyński regebatur, a mense autem Novembri a. 1707 Stanislaus Skwarczyński tamquam vicecancellarius ei praeerat.

Die 13 IX a. 1706 nuntius Piazza de sede titulari insulae Rhodi in ecclesiam titularem Nazarensem translatus est ⁹.

Mense autem Augusto 1707 Piazza e munere nuntii revocatus est, cui Nicolaus Spinola die 20 VIII a. 1707 nuntius successit. Ioannes Ziekursch suspicatur eum in familiaritatem quandam Stanislai Leszczyński venisse¹⁰, quamquam rex Augustus II gratiam sinceram erga eum referebat quod iura eius ad regnum Poloniae constanter defendebat¹¹. Munere nuntii usque ad mensem Februarium a. 1708 fungebatur, ubi Opatavia discessit et per Vindobonam, Venetias et oppidum patrium Forum Livii, Romam pervenit. Die 28 IV 1708 secretarius brevium et notarum occultarum a papa nominatus est¹², quare ad omnes congregationes libere intrare poterat, si necessitas postulabat, ut acta, quae ad negotia ecclesiastica politicaque peragenda spectabant, cognosceret. Medio mense Decembri a. 1708 Vindobonam a papa Clemente XI missus est, ut tempore belli, propter ordinem successionis in regno Hispaniae conflati, et temporis puncto valde papae infausto de rebus Status Pontificii tractaret. Hoc loco unum annum tamquam nun-

⁹ Cfr. AV, Sec. Brev. 2206 f. 90r-v. Sedes archiepiscopalis Nazarethi in Palestina cum gubernatione dioecesis Barolensis, in provincia ecclesiastica Barii sita, coniuncta erat.

¹⁰ *August der Starke und die katholische Kirche in den Jahren 1697-1720*, p. 124-127.

¹¹ In litteris die 21 VIII a. 1709 in oppidulo Gubin dicto, cum in Poloniam advenit, ad papam i.a. scribebat: "Hic non possum quin addam summas deberi laudes Sanctitatis V.rae Nuntio Apostolico Piazza pio digno viro summa dexteritate ac prudentia, qua se durante hactenus Regni tempestate turbulenta tam digne gessit, ut eidem non exigua successus, qui nunc est, pars tribuenda sit...", AV, F. Albani 195 f. 54r.

¹² De hac nominatione cfr. AV, Sec. Brev. 2228 f. 3r.

tius extraordinarius remansit et id perfecit, ut exercitus externorum terras Sancti Petri, imprimis regionem Comachensem, relinqueret¹³.

Die 15 XII a. 1709 Piazza nuntius Vindobonae a papa nominatus est - haec erat iam quinta statio eiusdem nuntii a papa missi¹⁴. Tempore, quo munere nuntii fungebatur, multi et grandes eventus locum habuerunt - contigit imprimis, ut contentiones et dissidia inter imperium et papatum orta - quamvis non sine variis difficultatibus et compromissis necessariis, omnino sopirentur. A. 1711 Carolus VI ad regnum accessit; post obitum Iosephi I imperatoris Piazza in exsequiis eius et electione Caroli VI, Francofurti ad Moenum celebrata, intererat. Apud aulam novi imperatoris nuntius multo ingenio et prudentia eminuit.

Pro labore et munere nuntii sedulo expleto, ad cardinalis dignitatem, in consistorio die 18 V 1712 convocato, a papa Clemente XI proventus est - quam dignitatem non propter parentes illustres vel sanguinis vincula, sed solummodo ob fidele et providum servitium ac oboedientiam Sedi Apostolicae servatam adeptus est, brevique tempore post in capella aulae Vindobonensis biretum cardinalium ab imperatore accepit. Munere nuntii unum annum Vindobonae fungebatur. Hac legatione et missione expleta tum demum Romam advenit, ubi pileum cardinalis et ecclesiam titularem Sancti Laurentii in Panisperna a papa acceperat.

Cum Iulius Piazza munere nuntii Vindobonae fungebatur, in episcopum dioecesis Faventinae, oppidi haud procul a loco suo natali siti, evectus est 21 VII a. 1710¹⁵. Sedem illam post mortem cardinalis Marcelli Durazzo obtinuit et possessionem illius per procuratorem adeptus est. A. 1714 legatus Ferrariae est nominatus, ubi res posebat, ut dominatio papae omnino restitueretur et gubernatio huius regionis in ordinem redigeretur. Munere hoc fungens prudentem se administratorem praebuit.

Faventiam in fine a. 1718 advenit, ubi visitationem generalem totius dioecesis peragi iussit, diebus 18-20 Octobris a. 1723 synodum celebravit, magnam curam in seminario clericorum posuit, palatium episcoporum de novo construi mandavit.

Iulio Piazza episcopi Faventini munus gerente, cardinales ad conclave agendum bis convenerunt (a. 1721 et a. 1724). Tempore secundi horum conclavium Piazza sufficientia suffragia accipere potuisset, ut pontifex maximus eligeretur, et pro certo id exspectavit, sed discidium in collegio cardinalium, praecipue ex parte duorum cardinalium de familia Albani, id effecit, ut alter candidatus electus sit¹⁶. Morbo longinquo et gravi tentatus,

¹³ Cfr. F. Pometti, p. 404-412.

¹⁴ De nominatione nuntii Vindobonae die 15 XII a. 1709 facta, cfr. AV, Sec. Brev. 2265 f. 1r-6v. Acta et documenta in Nunz. Germania 46-48, 246-248, 473-477 et in Arch. Nunz. di Vienna 35-38 (acta gratiarum) reperiuntur.

¹⁵ Cfr. AV, Proc. Datariae 87 f. 85r-89v.

¹⁶ Cfr. Pastor XV, p. 394-401, 462-467.

Piazza die 24 IV a. 1726 in sua sede episcopali Faventiae mortuus est et ibi in ecclesia cathedrali sepultus.

2. Fontes ad munus nuntii Iulii Piazza pertinentes.

Rerum felicium concursu, commercium litterarum inter nuntium Piazza et Secretariatum Status integre asservatum est. Corpus principale harum litterarum in Archivo Vaticano in parte **Nunziatura di Polonia** dicta invenitur. Omnia volumina tegumento munita, in quarto, omnino bene asservata sunt. Involucra epistularum, eo ipso etiam sigilla earundem, desunt. Sequentibus voluminibus hoc commercium litterarum continetur:

a) Litterae autographae Iulii Piazza ad Secretarium Status missae:

- vol. 131, quod litteras a. 1706 scriptas continet. In dorso legitur: "Lettere di Mons. Nunzio in Polonia", olim signatura 133, et alia manu additum est: "Mons. poi Card. Spada, Gio[vanni] Carlo Vanni Internunzio e Mons. Piazza". Volumen bene conservatum, commode legi potest. Lacunae in commercio litterarum, ff. 755 constante, desunt. Litterae et novitates ("avvisi"), a Piazza inde a die 12 X usque ad diem 27 XII 1706 a. missae, in ff. 560r-752r reperiuntur.

- vol. 132, quo litterae a nuntio a. 1707 missae et ad eum allatae in ff. 860 continentur. Volumen et eius contenta bene asservata sunt, et in dorso legitur: "Lettere di Mons. Nunzio in Polonia" et inferius alia manu adscriptum: "Mons. Piazza". Hoc volumine imprimis litterae originales nuntii una cum ipsius autographis, nec non novitates ("avvisi") continentur; quibus etiam adiunctus est satis magnus numerus additamentorum, scil. epistulae originales et exemplaria, i.a. litterae nonnullorum episcoporum, et procerum saecularium ad nuntium missae (v. gr. episcopi Constantini Szaniawski, vicecancellarii Ioannis Szembek), exemplaria scriptorum publicorum et varii generis edictorum (i.a. primatis Stanislai Szembek, confoederationis Sandomiriensis).

- vol. 133, collectio epistularum a. 1708 a nuntio missarum, bene asservata et ff. 771 constants; in dorso vetus signatura "135" et inscriptio: "Lettere di Mons. Spinola". Litterae nuntii Piazza, a die 21 usque ad 3 III a. 1708 scriptae conservantur in ff. 2r-117r; his litterae originales nonnullarum personarum, rarius exemplaria earundem, adiunctae sunt.

b) Minutae litterarum Iulii Piazza ad Secretarium Status et alias personas missarum in vol. 132A bene asservato et compacto, nonnullis locis parum perspicuo, continentur. In ff. 1r-231r minutae litterarum ad Secretarium Status et in ff. 232r-286v minutae litterarum ad alias personas mis-

sarum, i.a. ad vicecancellarium Ioannem Szembek, cardinalem Christianum Augustum de Saxonia-Zeitz, ad Congregationes de Propaganda Fide nec non Episcoporum et Regularium leguntur. In ff. 289r-301r minuta relationis finalis exarata invenitur.

c) Litterae originales cardinalis Fabricii Paulucci, Secretarii Status, a die 15 IX 1706 usque ad diem 24 III 1708 a. ad Iulium Piazza scriptae, volumine 203A (olim signatura 189A) continentur. Volumen compactum, licet sutura relaxa, valde perspicuum est. In dorso voluminis, ff. 444 constantis, haec solummodo scripta sunt: "1706-1708". Adiuncta habet aliquot exemplaria aliorum documentorum, i.a. orationis Clementis papae XI ad cardinales in consistorio secreto die 1 VIII 1707 a. habitae, continentur.

d) Regesta epistularum Secretarii Status ad nuntium Piazza missarum duobus voluminibus huius seriei Nunziatura di Polonia continentur: vol. 189 (olim signatura 31), compacto et bene asservato, in cuius dorso legitur: "Lettere scritte dal Sig. Card. Paulucci a M^r Nunzio in Polonia dal 1700 a tutto il 1706", alia autem manu adscriptum est: "alli Mons. Pignatelli, Mons. Spada, Mons. Piazza" (hoc ultimum verbum valde detritum est). Volumen hoc ff. 569 constat, ubi regesta epistularum ad nuntium Piazza, a die 16 X usque ad diem 25 XII 1706 a. scriptarum, in ff. 539v-554v leguntur.

- vol. 220 (olim signatura 32), compactum et bene asservatum est. In dorso haec inscriptio occurrit: "Lettere scritte dal Sig. Card. Paulucci a Mons. Nunzio in Polonia dall'anno 1707 a tutto il 1712", et alia manu scripta haec: "Alli Mons. Piazza, Mons. Spinola, Mons. Odeschalchi". Volumine hoc, ff. 399 constante, regesta litterarum ad Piazza scriptarum ff. 4r-67r continentur.

e) Litterae "decifrati" dictae (i.e. eae, quae olim notis secretis exaratae, tum lectae et in scripturam Latinam translatae sunt) Iulii Piazza ad Secretarium Status nec non similes litterae Secretarii Status ad nuntium notis secretis exarandae volumine 147 (olim signatura 124), ff. 570 constante, continentur. Compactura huius voluminis nova, gluten obtritum, singularia folia laxa sunt. In conglutina parte eiusdem voluminis antiquum dorsum exstat, in quo haec scribuntur: "Cifre di Mons. Nunzio in Polonia e risposte dal mese di Dicembre 1700 sino a tutto il 1720". Epistulae "decifrate", a nuntio Piazza a die 6 I usque ad diem 19 I a. 1707 missae, in ff. 110r-131v inveniuntur, regesta vero "di cifra" Secretarii Status ad nuntium a die 19 III usque ad diem 22 XII a. 1707 missa, in ff. 506r-508v inveniri possunt.

Praeterea in alia serie eiusdem Archivi Vaticani, **Fondo Albani** nuncupata, quae plura scripta ad pontificatum Clementis XI (Albani) spectantia continet, in vol. 194 aliquot epistulae originales nuntii Iulii Piazza ad Secretarium Status missae, nec non in Nunz. Pol. Additamenta 7, fasc. 2 et 3 sf. aliquot minutae Secretarii Status a. 1707 ad eum datae inveniuntur.

In **Archivo Nuntiaturae Varsaviensis**, in parte munus nuntii Piazza illustrante, volumine 182, ff. 46 constante, compacto et bene asservato, tomus regestorum actorum gratialium tempore, quo Piazza munere nuntii fungebatur, continetur. Acta vero tribunalis nuntiaturae ad munus Piazzae spectantia a. 1944 Varsaviae igne consumpta nobis non sunt servata.

Ex aliis collectionibus in Archivo Vaticano asservatis enumerandae sunt: Secretariatus Brevium, ubi in volumine 2188 regesta facultatum ad nuntium Piazza spectantia exstant nec non Epistolae ad Principes, ubi in vol. 86 regesta litterarum credentialium, ad regem Poloniae et proceres ecclesiasticos ac saeculares Regni Poloniae pro nuntio Piazza missarum, inveniuntur.

Praeterquam in Archivo Vaticano nonnulla acta et documenta Piazzae in **Archivo Congregationis de Propaganda Fide** exstant, ubi in tribus voluminibus seriei Scritturae Originali Riferite nelle Congregazioni Generali (SO CG vol. 559-561) aliquot epistolae originales illius nuntii ad istam congregationem missae, et in vol. 96 seriei registorum. "Litterae S. Congregationis" nuncupatae, aliquot regesta litterarum congregationis ad nuntium a. 1707 missarum reperiuntur.

Explorationes in aliis tabulariis a nobis factae speratos fructus non attulerunt. Ex actis familiaribus et privatis nuntii Piazza in Foro Livii et Faventiae perlustratis conici potest nulla acta et documenta ad nuntium nostrum spectantia illic adportata fuisse; ceteroqui familia illa inter familias in Italia illustres non numerabatur, unde minime curatum est, ut acta historiam eius illustrantia asservarentur. Inde factum est, ut ad Archivum Vaticanum pervenerint etiam minutae litterarum nuntii nec non litterae originales a Secretario Status ad eum missae (Nunz. Pol. 132A et 203A). Non exiguus numerus litterarum autographarum nuntii Piazza ad vicecancellarium Regni Poloniae Ioannem Szembek datarum (16) in **Bibliotheca Czartorysciana** Cracoviae, in archivo gentis Szembek, asservatur (mss. 450-452). Singulae tantum epistolae in Tabulario Publico Vindobonensi (Haus-Hof- und Staatsarchiv), in Archivo Metropolitano Gnesnensi (3 epistolae quae typis edentur), in Archivo Dioecesano Plocensi (2 inscriptiones in Actis Episcoporum factae), reperiuntur. In Archivo Principali Veterum Actorum Varsaviae (Archiwum Główny Akt Dawnych), in collectionibus Bibliothecae Cornicensis, in archivis ecclesiasticis Cracoviae, Posnaniae et Vladislaviae, quae aequae bene perlustravimus, nihil a nobis inventum est. Tentamina a nobis facta, ut ad Archivum Publicum Dresdense, quod aliquot epistulas ex commercio litterarum nuntii ad aulam principis et magistratus Saxoniae a Piazza missarum asservare fertur, perveniremus, successum non habuerunt. Notitiam vero de iis inibi conservatis sacerdoti Chemnicensi Henrico Meier nec non professori Thorunensi Hiacynto Staszewski debemus.

Quod ad praedicta acta et documenta munus nuntii Piazza illustrantia attinet, dici potest usque ad hoc tempus perpauca eorum explorata et in lucem edita esse. Augustinus Theiner aliquot textus ex Archivo Vaticano, Nunziatura di Polonia 132 et 133, magna ex parte in fragmentis edidit, nulla mentione facta, unde illa hausit¹⁷. Quasdam litteras a nuntio ad Congregationem de Propaganda Fide missas et ab illa acceptas, in quibus de regionibus Ucrainae agitur, ediderunt Andreas Šeptyckyj¹⁸ et Athanasius Welykyj¹⁹.

Ad studia historica nuntiaturae Polonae Iulii Piazza quod attinet, supra enumeratis fontibus suffulta, sunt fere nulla. Si Ioannem Ziekursch et Ioannem Feldman excipias²⁰, persona et opera istius nuntii historiae Polonae et Pontificiae studiosis prorsus ignota est.

Ioannes Kopiec

Latine vertit Christophorus Pawłowski

¹⁷ Cfr. Theiner VMPL IV 1, p.38-44 et Theiner MHR, p. 409-425.

¹⁸ Cfr. *Monumenta Ucrainae Historica*, V, p. 39-57.

¹⁹ Welykyj LE IV, p. 251-263; II, p. 259-265.

²⁰ Cfr. bibliographiam.